



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Rebus Gestis Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv

Marchetti, Annibale

Florentiæ, 1687

Capvt X. Idem Et Vltimvm. Parænesis ad eos, quos e Cælo ad Religiosam vitam evocatos domestica lucra, atque honorum studia retardant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43962

Paranesis ad eos, quos e Cælo ad Religiosam vitam evocatos domestica lucra, atque honorum studia retardant.

Famæ cupiditas quâ vehemens in hominibus.



Des iam animo quisquis hæcenus sancti huius Adolescentis vitam evolvisi, & mirare mecum, quod satis ipse non possum, stolidam hominum superbiam, quæ Famam, ac prædicationem per dedecus omne sectatur. Regis vocabulum urbium ruinâ, cædibus populorum, generis humani sanguine, ac vastitate comparatur. Nihil propemodum ausa non est præceps ambitio, ut nomen suum in saxa, æraq; duratum posteris cognoscendum traderet: & quod testibus præter oculos nullis credibile fuerit, cernere quamplurimos licet, vitam ipsam aditis spontè periculis lætos prodigere, suo ut eam nomini largiantur, ac de se, Lothicæ, propè dixerim, vxoris instar, sui monumentum
fa-

faciant. Famæ denique captandæ studio, vilissimam passim, durissimâque illi seruitutem, humiliter superbi seruiant: quam tamen, si saperent, si contemptui haberent, ac dominam recusarent, ita demum pedissequam obtinerent. Id eius ingenium est, & sagacissimum, utpotè ex multis collatum, iudicium. Sui cultores contemnit, ut leues: colit, sequiturque, ut suos dignos obsequio, a quibus ipsa contemnitur. Huius rei eximium hic habes documentum; unde discas famam eiusque munus præcipuum gloriam contemnere, quando nullâ re æquè gloriosum effici nomen intelligas, quàm ipsâ gloriâ contemnendâ.

Confer si lubet cum Aloysio Gonzagâ Alexandrum illum Macedonem cupidissimum popularium rumusculorum aucupem, & quoties eum appellari Magnum audieris, humanæ te parvitas pudebit, cui magnus dicatur, qui non nisi magnis ruinis ab se auaræ captandæ coaceruatis insistat. Perpende primò quantula gloriâ quam ingenti extorta sævitiâ. Dum vita mansit; habuit qui eum Regum maximum, Ducum fortissimum, Iove ipso satum (edicto verba præeunte) publice compellarent, ac poplite tenus venerarentur: quorum tamen clandestinis sermonibus carnifex erat, atque adeo
carni-

Fama sui
cultores, cō-
temnit cō-
temptores
colit.

Alex: ma-
cedonis cū
Al: com-
paratio.

Duplex A-
lexâdri fa-
ma : altera
publica, fe-
creta alte-
ra.

carnificum probrum . Vbi verò mors audita ;
publica illa , quæ eius aurâ vescebat , fama,
protinùs concidit : ac secreta e tenebris eruta ,
nullâ spe , nullo metu corrupta ad nostra usq[ue]
secula viguit , palàmque apud Sapientes præ-
dicat , ei , qui sanguine , & cædibus suam ma-
gnitudinem impleverit , Magnum esse potuisse
nihil , præter crudelitatem .

Vnica, fin-
ceraque
Alo: fama
quàm di-
versa.

Contra verò Aloysio incolumi , conscia Fa-
ma , suis eum rumoribus offendi , diù multum-
que sese cohibuit . At simul extinctum audijt ,

Qui alienâ
virtutem ,
idem se
ipse com-
mendat .

tancâ continuò alacritatē sese in eius laudes ef-
fudit , ut se ipsa commendare tam ingentis vir-
tutis prædicatione videretur . Eius celebrando
funeri Roma universa certatim affuit : quo tē-
pore quidquid rerum ad eum spectantium ob-
tineri potuit , auro , gemmisque exceptum est.

Funus quâ
gloriosum

Reliquiæ
auro exce-
ptæ .

Depictæ
infinite i-
magines .

Numisma-
ta ex òni
metallo .

Statuæ ò-
nis gene-
ris : argen-
teæ plus
centum in
Europa ,

Depictæ statim effigies , atque infinita in vul-
gus exempla , prælo adnitente , tributa . Ad
hæc ærea cusa numismata , quin etiam aurea ,
argenteaque , sacris insuper Ecclesiæ thesauris
commendata in orbem terræ universum eius
vultus populis adorandos præbuere . Mitto sta-
tuas marmoreas , aut ex aliâ minùs prætiosâ
materiâ eius honoribus dicatas . Ex solis argē-
teis plus centum Societas nostra per omnem
disperfa Europam suis in templis enumerat :

quibus

quibus haud dubiè magnam accessionem tece-
 rint, si quas reliquæ Mundi partes cum pri-
 vatim, tum publicè statuerint, computentur.
 Adde Tempia, ac Sacrarja eius memoriæ toto
 Orbe dicata. Adde festos dies singulis annis
 Aloysij honoribus consecratos, ubi solemnia
 sacra, ubi publicæ laudationes, ubi vocum,
 neruorum, ac tibiaram cantus, Aloysium
 cunctis per Orbem linguis inelamant. Etiam
 Antipodes, quorum Reges vel maximos igno-
 ramus, qui nostros Cæsares ignorant, Aloysij
 nomen & norunt, & venerantur. Adde deni-
 què (quod vota ipsa, vel etiam insomnia cu-
 iusquè maximè ventosi capitis excesserit) pecu-
 liarem illam venerationem, quâ festis hisce
 diebus universum Christianum Orbem humi
 ante se prostratum e Cælo conspicit Aloysius.
 Finge animo, ut rem planè intelligas, morta-
 lium alicui in aureo folio sedenti, ac trabea
 to a cunctis Christiani populi Regibus, etiam
 quos oceanus a nostro orbe seiunxit, de socia-
 li sœdere fanciendo, uno tempore, uno die
 Legatos adesse. Nonne tantæ dignitatis fulgo-
 re obiecto, atque acie mentis perstrictâ, decus
 admirareris mortalibus insolens? At longè ma-
 ximum Aloysio contigit, cui in altissimo eo-
 demque, quo rerum Dominus, throno seden-

Templa in
 eius me-
 moriâ ere-
 cta, ac dies
 festi illi
 dicati.

Antipodes
 cum norunt
 & veneran-
 tur.

Christianū
 orbē ante
 se prostra-
 tū conspicit.

A a ti,

ti, ac cælesti trabeâ circūdato Christiani Reges universi nō per legatos, sed per se ipsi, nō de fcedere, sed de cliētelâ impetrandâ in genua pro-
luti supplicatū adsunt. Circūspice quacūque ter-
rarum, ac gentium hætenus sese Christi Re-
ligio explicuit, & non sine voluptate intueberis
eo die, qui Aloysio Sacer est, summos terra-
rum orbis Rectores, Pontificem nempe Maxi-
mum, Cæsarem Augustum, Hispaniarum,
Gallarum, aliarumque gentium potentissimos
Reges, tot sacrorum Antistites, tot Purpura-
tos, tot viros principes, unâ cum infinitâ po-
pulorum multitudine ad Aloysij imagines pro-
volutos eius e Cælo spectantis benevolentiam,
patrocinium, fidem infimis precibus postulan-
tes. Quid quæso hoc honore prætantius? non-
ne exclamare iuvat Davidicum illud: *nimis bo-*
norati sunt Amici tui Deus, nimis confortatus est
Principatus eorum. Quis unquam tantum sibi
decus commentus non continuò motæ mentis
suspiciōe tangeretur? num exaggerasse credi-
deris, an verius extenuasse quisquis eum regna-
re pronuntiavit, qui Numini inseruiret. Hoc
profectò non regnare est, sed Reges omnes cū
suis regnis supernè despiciere, ab iisque inter
Superos regnorum arbitros adorari.

Iam verò quis verbis consequi valeat, quanti-
tū

Ac præfer-
tim maxi-
mos, ac po-
tētissimos
Reges.

Psal: 138.

tum eius laudibus accesserit ex immensâ scriptorum multitudine, qui res ab eo præclare gestas ad sempiternam temporis memoriam oratorio, poetico, historico stylo, omni præterea linguarum genere propagarunt. Haud ul-
 lus certè annus abit, quo non plura centena carminum millia Aloysiuse Cælo in sui laudem conscripta perlegat. Ita enim fert nostra domestica consuetudo, ut quotannis ad diem illi festum nostri ordinis Iuvenes, qui litteris dant operam, poetico certamine illius laudes persequantur. In uno Romano Collegio ad quinque carminum millia publicè proposita ipse aliquando enumeravi: quem numerum si per quadraginta duxeris (quot fere maiora Collegia, ubi eiusmodi certamina instituuntur, Societas numerat) bis centena carminum millia in annos singulos eius laudibus dicata comperies. Quibus si insuper adjeceris quæ nostri Rhetores toto Orbe quamplurimi, vel publicè per eosdè dies declamanda, vel privatim Auditorum exercitationi scribenda tradunt; quàm arduum tibi fuerit tot carminum numerum, tam pronum ex innumeris immensum Aloysij decus existimare.

Quid horum quæso ille Pussonibus Magnus Alexander? quantus eum pudor inuaderet?

A a 2

quàm

Scriptorū
 de eius
 Laudibus |
 multitu-
 do.

Poeticum
 in eius lau-
 dem certa-
 men.

Nihil horū
 cōtingit Ale-
 xandro.

quàm se suo nomine minorem cerneret, si cum Aloysio conferret? nonne sensum planè perderet, seu veriùs reciperet; si Aloysij calceos argenteis thecis inclusos, eorumque frustis longè plus honoris, quàm suo diademati haberi conspicaretur? Tibi verò (quisquis tuis honoribus, atque emolumentis metuens vocanti Numini reluctaris) quid ista evolventi animo occurrit? num huiusmodi piget, aut pudet honorum, ut qui ampliores tibi de tuâ seu virtute, seu stirpe promittas? sed esto: ita, per me licet, existimes: sint ista ornamenta tuâ spe, ac dignitate minora; sequi pigeat, pudeat obtinere umbratiles istos honores, quos ipsa profana sapientia honoris ceteroqui alumna, umbram aliquando appellat. Sursum oculos attolle: ibi nitidissimam videas claritatem, unde omnis terrenæ honestatis umbra projicitur. Honos ibi non quibus orbis terrarum, ac seculorum finibus inclusus, sed in immensa Cæli spatia, in omnem patet æternitatem: nec rursus a paucis, iisque contemptis habitus homuncionibus; verùm a summis, ac præstantissimis Cælesus curiæ Principibus, ab infinitâ numinis Maiestate; cuius specie, ac vice omnis terrenæ Maiestatis decor nitet, ac nititur. Eò primùm lumina attollas velim, mox ad nostra demittens, tantum mortalium

Cic: Tusc:
172: Sen:
ep: 80.

Sistos viros longè
his terrenis maioribus in Cælo ornamenta manent.

talium rerum fastigia subsidere, tantumque
 coire amplitudinem cernes, ut pro cælestibus
 bonis adipiscendis hæc, non nisi cunctanter, &
 meditate contempsisse, pœniteat. Respice indi-
 dem Alexandri decora: cogita, quàm simula-
 ta, quàm fugacia, quàm in angustum tempo-
 ris, terræque coacta, quàm denique nunc in-
 ualida ijs, ac vitâ fuuctum obiectare, qui
 ea, vel minimè sentiat, vel maximè sentiat per-
 didisse. Cumque ea penitus inspexeris, disce,
 contemnere umbras quantum alienâ iniuriâ, ac
 periculis partas tantumdem veræ nominis cla-
 ritati officientes. Si nomen tuum, bona inque
 famam Aloysij gloriâ illectus omne in æuum
 prorogam cupis, cave stultis improborum
 mentibus suâ laudè dehonestaturis, committas:
 pudeatque tuas in illis, velut in cloacâ, vel sta-
 bulo effigies relinquere. Cave etiam saxi cre-
 das, temporis pabulo, ijs enim paulatim ero-
 sis, truncus eris, populi prætereuntis ludibrium.
 Illud cura perquam diligenter, ut nominis tui
 memoriam proborum mentibus imprimas, quæ
 utique te verâ laudè donabunt, secumque in
 Cælum citra metaphoram efferent: ibi liqui-
 dem quot beatas Mentis, totidem pretiosa
 tui monumenta æternitati dicata cognosces.
 Huc te conari, huc incumbere decet, si tibi,
 si fa-

Vera nomi-
 nis fama,
 ubi qua-
 renda?

si familiæ tuæ de verâ nominis claritate con-
sultum velis. Tunc autem, cum illo pervene-
ris, palàm fiat stulti parentum tuorum co-
natus, qui rati indolem tuam perditum iri, ac
planè tumulatum, si religiosæ disciplinæ an-
gustijs premeretur, te ab eâ revocare conati

sunt: ijsque aliquando tandem, ubi scili-
cet te germinasse videbunt sicut li-

lium, vel sicut palmam effloruisse

se, prout Divina pollice-

bantur eloquia, do-

cumento eris;

ferere, non

sepeli-

re,

qui generosam sti pem in

terris, Divinis voci-

bus obsequutu-

rus, abicon-

dat.

LAUS DEO, AC BEAT. SEMPER VIRGI
SINE LABE CONCEPTÆ.